Numerus 2 - Anni III
:: Febuarius 1926 ::

Roma (30) - Via S. Nicola da Tolentino, 8

# ACIES ORDINATA

EPHEMERIS MENSTRUA
NOSTRIS DIRECTORIBUS
CONGREGATIONUM B.M.V.

OBLATA A SECRETARIATU
CENTRALI CONGREGATIONUM B. M. V. :: :: ::

Manuscripti instar, ad usum Nostrorum tantum

# QUALEM ESSE OPORTEAT APOSTOLATUM SODALIUM?

Sodalitatis Marianae finis secundarius, sed aeque substantialis atque sanctificatio sui, est formatio apostolorum laicorum. Ob hanc etiam rationem Congregatio tamquam opus hodiernis quoque temporibus utilissimum commendatur, neque inter varias uniones actionis catholicae neglegendum.

Director igitur Sodalitatis saepe apostolatum sociis inculcabit, atque zelum excitatum aptis operibus exercebit. Quae res materiam abundam allocutionum tam communium quam singularium cum Sodalibus Directori subministrabit. Ne tamen socii hunc apostolicum ardorem perperam intellegant, utile erit identidem Sodalibus exponere, *qualem esse oporteat spiritum et actionem eorum apostolicam.*

De qua re fortasse haec utiliter notanda occurrent:

1. **Sit apostolatus Sodalium spiritu supernaturali ductus.** Error enim frequens est eorum, qui putant apostolatum humanae voluntatis et donorum naturae viribus contineri. Quid tamen prodest optimis ornari naturae dotibus, pollere rerum cognitione quamvis copiosa, nisi supernaturalis ardor ac gratia divina accedant? Sine quibus neque constantia, neque in adversis fortitudo animi, neque invicta in agendo voluntas, neque efficaciae divinae virtus actionem nostram comitabuntur. Imo sine spiritu vere supernaturali apostolum replente neque illa agendi ratio obtinetur, quae necessaria est ut ad homines devinciendos et virtutis amore accendendos valeamus. Nam facile homines advertunt apostolum exteriore tantum specie rebus divinis inhaerere, neque credent fidem ac virtutem vere esse summos vitae thesauros, si ne eos quidem penitus commoveri ac veluti penetrari rebus divinis viderint, qui sese apostolos rei catholicae esse praetendant. Unde historia magistra cernimus eos demum apostolos ad regnum Dei in terra dilatandum valuisse semper plurimum, qui prae ceteris ipsi quoque religionis amore et vitae sanctimonia eminuissent, nec solidos fructus illum apostolum edidisse unquam, qui naturali quodam impetu magis, vel agendi quaelibet desiderio, quam spiritu supernaturali ad opera zeli suscipienda esset adactus.

Quare Sodalis ad apostolatum se praecingens nolit oblivisci inprimis sui ipsius sanctimoniam curandam. Nolit oblivisci "facere" prius, deinde "docere". Nolit oblivisci precibus impetrare et lucem in agendo, et vim in perseverando, et motionem Spiritus Sancti ad animum hominum flectendum. Inprimis autem imbuat se amore filiali B. Virginis, cui in omnibus coeptis apostolicis gratificari studeat, cuiusque praesidio, quidquid sibi bene in agendo successerit, totum acceptum referat.

2. **Sit deinde apostolatus Sodalium plenus amoris et commiserationis erga proximos.** Idque tam in motivis quam in modo agendi. In *motivis:* excitet se Sodalis ad misericordiam erga peccatores, infideles, indifferentes; revolvat saepe animo sortem miserabilem, quam incurrent, nisi convertantur; tentationum gravitatem, periculorum abundantiam, plurimorum hominum sese iuvandi ineptitudinem. Excitet se ad zelum ardentem, veluti si omnes, quotquot in orbe vivunt, fratres ipsius et sorores essent, praesensque cerneret aeternum eorum ad inferos interitum, nisi servarentur. In *modo agendi* deinde hunc amorem misericordem erga eos ostendat, quos adiuvare vult. In miserrimo etiam peccatore animam videat Christo caram,

eius Sanguine respersam. Excuset rusticitatem, insolentiam, ignorantiam, debilitatem hominum. Affabilis sit et patiens, cum nihil adeo mentes conciliet quam suavitas et patientia ac mansuetudo. Non adeo perterrere homines quam magis consolari religione conetur. Ostendat eis quanta cum Deo pax et quies in animam intrare soleat, quanta felicitas in familiam et societatem. " Arguat, obsecret " et ubi " increpandum " est, id faciat " in omni patientia ". Coniungat cum cura spirituali, si opus est, curam sublevandi moestos, aegros, miseros, ut appareat, se vere discipulum Eius esse, qui amorem proximi posuit signum verorum discipulorum, quique mitis erat et humilis corde.

3. **Sit apostolatus Sodalium porro prudens et bene ordinatus.** Nemo assumat res difficiles aut periculosas, ad quas bene praeparatus non sit. Incipiat Sodalis rebus facilioribus, paulatim ad difficiliora progrediendo. Ne nitatur suo consilio, sed libenter consulat P. Directorem, Praefectum, socios veteranos, maxime qui in eadem cum illo Sectione operam navant. Si res male sibi accidunt, perquirat causam, removeat impedimentum, mutet si opus est agendi modum. Si bene res eveniunt, ne infletur, ne quiescat, sed quaerat, qua ratione maiorem etiam fructum consequi sibi liceat. Nolit campum laboris sibi proximum neglegere, ut ad alienos minusque ad se spectantes transvolet; si studiis dat operam, inprimis in schola et inter contubernales exemplo, verbo, opere agat; si familiam curat, si officio alicui praefectus est, si subditos vel laboris socios habet, inter suos maxime apostolatum exerceat, non inter alienos.

4. **Sit apostolatus Sodalium spiritu sacrificii praeditus.** Multi libenter res sacras et nobiles promovent, sed eo demum pacto, ut laus et prima sedes eis tribuantur, voluntas eorum semper praevaleat, mox derelicturi laborem ubi primum obstacula, incommoda, contradictiones sese obiiciunt, vel vires labore assiduo fatigantur. Contra verus apostolus gaudebit, ubi nulla externa gloria, nulli honores aut tituli ipsi offeruntur, ubi nullam mercedem in hac vita nisi conscientiae quietem et Patris Spiritualis approbationem recipit, ubi sacrificiis vim laborum suorum augere et rorem divinae gratiae attrahere permittitur. Facile talis corrigi patitur, libenter ab aliis discit, patienter adversa fert, nullo conamine fatigatur, nullo impedimento vincitur; et sicut Christus erga Samaritanam vel erga matres cum infantibus ad se venientes, quamvis labore defessus, quavis diei hora ad serviendum aliis promptus est.

5. **Sit plenus spei et fiduciae.** Nunquam quidquam efficiet ille qui ab initio de fructu obtinendo desperat. Confidendum est apostolo, primum omnium divino auxilio, promissis SS. Cordis, gratia vocationis ad Sodalitatem qui coetus apostolicus est; deinde etiam innatae hominum propensioni non solum ad malum, sed etiam ad bonum et verum. Credendum, nos non adeo nomine nostro pugnare, quam magis Christum pugnare in nobis et per nos, qui vehementius quam nos ipsi conversionem animarum anhelat et vim habet omnia impedimenta vincendi, omnes passiones vitiosas hominum domandi. Tandem recogitet apostolus singularem protectionem Potentissimae Virginis sibi praesto fore, si eam impense coluerit, non solum in opere sese sanctum reddendi, sed etiam in laboribus apostolicis cum fructu obeundis.

6. **Sit denique zelus Sodalium apostolicus fortis et constans.** Non enim, ut quidam facere nonnunquam videntur, ioci causa aut distractionis gratia apostolica opera a vero Sodali suscipiuntur; non de singulari quodam et nobili "sport" hic agitur. Non itur ad astra nisi per aspera, et animas servare nemo nisi arduo et strenuo labore potest. Est autem operae pretium, terere paulisper vires; nam ubi vel unius animi salus aeterna agitur, nihil debet nimis difficile nobis apparere. Si igitur fructus speratus labori tuo non succedit, noli animum agendi amittere; si 9 portae clauduntur, tentes intrare per 10-mum; si centies spe falleris, centesimo uno nisu te finem obtenturum confidas. Nemo enim coronabitur, nisi qui legitime, id est constanter, certaverit, qui autem perseveraverit, hic salvus erit. Aequo iure hoc valet sive de tua anima sive de aliis servandis quaestio est.

Quodsi male frustratis conatibus vel adversitatibus externis facile deiiciaris, adi supplex Matrem ac Reginam tuam, quae ideo non inepte Regina Apostolorum appellatur, quod deiectos ac tristes Discipulos, mortuo vel in coelum ascendente Christo, dulcissime consolata est eosque ad perseverandum induxit: " erant Apostoli perseverantes unanimiter in oratione cum... Maria matre Iesu" (Act. 1,14), donec Paraclitus descenderet. Invoca tu quoque Eam, ut te adiuvet ad perseverandum, perseverando ad laetissimos apostolatus fructus attingendos, plurimosque tecum aliquando beatos ad Eius thronum in coelis adducendos!

---

" **Exploditur difficultas** ". Facile erat, cum Scholastici essemus, difficultates " explodere ", adhibito pulvere explosivo aliquarum distinctionum: *materialiter-formaliter, solum-etiam, simpliciter-secundum quid.* Sed difficilius est difficultates vitae et apostolatus, non dico: explodere, sed utcumque declinare. Nostra quoque publicatio difficultatibus sat magnis premitur, etiam materialibus; quare gratissimum Editori levamen praestat, quisquis *pulverem* contribuit ad difficultates nostras " explodendas " aptum. Sed adiuvat nos etiam ille, qui notitias communi aedificationi vel instructioni utiles de vita sodalitia subministrat, vel quaestionem aliquam cum munere Directoris cohaerentem articulo scripto tractandam suscipit.

# DE ANNO ALOISIANO

## a Sodalibus nostris promovendo

Quod ante duos menses nunciavimus, alterum centenarium canonizationis S. Aloisii sollemniter in orbe esse obeundum, laetissimo augurio sanxit ipse Summus Pontifex, qui procul dubio etiam-sui erga Societatem nostram amoris testimonium edere voluit, ubi Cardinalium sacro Collegio ad diem festum Nativitatis sibi gratulanti respondit, annum sequentem duobus centenariis esse futurum insignem: *S. Francisci Assisiensis et S. Aloisii Gonzaga.*

Itaque nullus iam obiicere nobis poterit nescio quam singularitatem vel oppositionem, veluti si centenario Aloisiano promovendo iubilaeum Franciscanum turbare velimus. Ipse enim Summus Pontifex duo illa centenaria iuxtaposuit et quodammodo aequiparavit, invitans implicite omnes ad duplicem sollemnitatem amice consociandam.

Interim Commissio Centralis Aloisiana, praeside ipso Urbis Vicario, Cardinali *Basilio Pompili*, et nostris Patribus multum adiuvantibus, invitationes misit ad omnes catholici orbis Episcopos, quos ut Aloisianas sollemnitates in suis quisque diocesibus fieri iuberent ac Promotores dioecesanos ad hunc finem nominarent, rogavit. Multi Antistites iam precibus annuerunt; imo erant qui seipsos obtulerunt ad partes Promotoris dioecesani agendas. Eodem tempore A. R. P. N. litteras ad omnes RR. PP. Provinciales dedit, quibus velle se ostendit, ut Nostri ubique terrarum huic centenario bene praeparando strenue adlaborarent.

Iam vix est opus enucleatus disserere, quam sit dulce et iucundum officium imprimis Sodalitatum nostrarum primas veluti partes in hac tam sacra utilique actione sibi vindicare atque alacriter ad sollemnitates Aloisianas bene praeparandas sese inprimis offerre. Relegite quaeso ea quae ante duos menses de partibus huius sollemnitatis scripsimus, vel si placet, petite simplici cartula postali a Commissione sive dioecesana sive Centrali (*Roma 19, Via del Seminario 120*) programmata de rebus agendis. Insistamus maxime in id, ut in singulis parochiis et Collegiis ac iuvenum Circulis *octidua Aloisiana* cum Conferentiis habeantur, ad quas Sodales seu Circulorum socii quam plurimos etiam non sodales iuvenes invitent. (Schemata Conferentiarum venum eunt apud Commissiones latine). Tempus huius octidui libere intra annum eligitur. Tentemus omnia ut *programma vitae* seu promissio Aloisiana, cuius textum nuper publicum fecimus, a quam plurimis iuvenibus singularum nationum *nomine subscripto signetur,* quae subscriptiones deinde die centenario, 31 Decembris 1926, Summo Pontifici tradentur et deinde ad tumulum S. Aloisii deponentur (1).

Etiam *peregrinationes iuvenum* Romanae laudabiliter promovebuntur. Qua in re opportune omnino evenit, quod gubernium Italicum *reductionem pretii itineris* (*Aug. 1926 - Oct. 1927*) concedet per totam Italiam omnibus itinerantibus, qui in itinere *Assisium* tangunt. (Pauca omnino deviatio est, inter Florentiam et Romam; hoc modo: Firenze - Perugia - Assisi - Foligno - Orte - Roma). Commissio centralis peculiarem subcommissionem habet pro peregrinationibus. Facile erit in itinere etiam Mantuam et arcem Castiglione tangere.

Rogamus etiam PP. Directores, velint actionem Aloisianam propagare *scriptis et publicatis articulis,* maxime in periodicis sodalitiis et iuventutis generatim. Ut labor iste facilior reddatur, apud Commissionem centralem articuli prompti sunt, qui sine pretio petentibus mittentur.

Interim *commentari devotionem Aloisianam,* Sodalitatibus tantopere accommodatam, incipiemus *in exhortationibus* sodalitiis. Nam etsi S. Aloisius Sodalis non fuit, pulcherrimo tamen exemplo omnibus Sodalibus, maxime adolescentibus, proponitur: fervore et amore in colenda B. Virgine, orationis studio, sacramentorum usu, angelica puritate, poenitentia, assiduitate in studiis, apostolico ardore, caritate erga proximos, cuius victimam aegris peste infectis serviendo immatura morte sese mactavit.

Si spiritum vere supernaturalem, strenuum et invictum virtutis studium in Sodalitatibus nostris repristinare desideramus, certe avidi singularem hanc occasionem laetissimi huius anni arripiemus et S. Aloisio duce novum spiritualis vitae ardorem in adolescentibus nostris conflabimus.

Sic annus hic simul et Aloisii et Sodalitatum annus triumphalis erit. (2)

(1) Si fieri non posset, ut omnia hoc ipso anno perficerentur, cavit Commissio Centralis, ut annus Aloisianus usque ad diem 21 Iunii 1927 protraheretur. Per se tamen melius erit omnia usque ad diem 31 Decembris anni 1926 quoad fieri poterit, perficere.

(2) Liceat hac occasione innuere iterum, quantum momentum habeat, ut talibus in rebus omnes quotquot e Societate sumus, et maxime Congregationum Marianarum Directores, *unitis viribus et uniformiter procedamus*; idque magis ubi de re agitur quam ipsi Superiores nostri atque ipsa Sacra Sedes promoveri desiderant. Dolendum utique esset, si suis quisque rebus singuli unice intenti non adverterent, quanta vis actioni communi Societatis insit. Rogamus igitur omnes Sodalitatum Directores et periodicorum sodalitiorum Editores, ut laborem operamque consociare velint, ut quam maxima alacritate omnes Sodatitates ad Aloisianum centenarium modo indicato obeundum concurrant.

---

" **Acies Ordinata** „ *singulis Directoribus* Congregationum mittitur. Praeterea singulis *domibus ut sic* ad usum communem. Ad minuendas tamen expensas postales, exemplaria in eamdem domum destinata, uno involucro, *Superiori* mittuntur.

# NUMERUS CONGREGATIONUM B. M. V.

**Primae Primariae aggregatarum anno 1925.**

| | Sacerdotes et Clerici | Viri | Iuvenes | Iuvenes et viri | Pueri | Studiosi et discipuli | **Summa** | Mulieres | Mulieres et Virgines | Virgines | Puellae | Studiosae et discipulae | **Summa** | Utriusque sexus | **SUMMA TOTALIS** |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| EUROPA | | | | | | | | | | | | | | | |
| Anglia | | | | | | 1 | 1 | 11 | | 2 | 2 | | 15 | 5 | 21 |
| Austria | | | 4 | | 6 | 5 | 15 | 6 | | 20 | 4 | | 30 | 2 | 47 |
| Belgium | | | 4 | | | | 4 | | | | 6 | | 6 | | 10 |
| Cechoslovachia | 4 | 1 | 1 | 3 | 1 | 3 | 13 | 1 | 1 | 3 | 4 | 1 | 10 | 6 | 29 |
| Gallia | | | 1 | | 1 | 4 | 6 | | 26 | 29 | 14 | 1 | 70 | | 76 |
| Germania | | 10 | 35 | | 1 | | 46 | 1 | | 118 | 6 | 3 | 128 | 2 | 176 |
| Helvetia | 2 | | 4 | | 1 | 1 | 8 | | | 8 | 2 | | 10 | | 18 |
| Hibernia | | | | | | | | | 3 | | 4 | 1 | 8 | | 8 |
| Hispania | 1 | 1 | 12 | | 3 | 2 | 19 | 1 | 2 | 7 | 21 | 1 | 32 | 2 | 53 |
| Hungaria | | 4 | 1 | 1 | 1 | 6 | 13 | 4 | 1 | 1 | 13 | | 19 | | 32 |
| Italia | 2 | 1 | 7 | 2 | | 1 | 13 | 1 | 4 | 6 | 5 | | 16 | 1 | 30 |
| Iugoslavia | | 2 | 7 | | 1 | 1 | 11 | 7 | | 7 | 10 | | 24 | | 35 |
| Lusitania | | | 3 | | | | 3 | 7 | | 4 | 3 | 1 | 15 | 3 | 21 |
| Neerlandia | 3 | 1 | 12 | | 1 | | 17 | 1 | 4 | 1 | 9 | 1 | 16 | | 33 |
| Polonia | | 3 | 2 | | | 24 | 29 | 4 | 1 | 5 | 6 | 14 | 30 | | 59 |
| Rumenia | | | 2 | | 1 | 1 | 4 | | | 4 | 1 | | 5 | | 9 |
| Varia loca | | 1 | | | | | 1 | | | 2 | | | 2 | 3 | 6 |
| AFRICA | | | | | | | | | | | | | | | |
| Aegyptus | | | 1 | 1 | | 1 | 3 | | | 1 | | | 1 | | 3 |
| Alger | | | | | | 1 | 1 | | | | | | | | 2 |
| Madagascar | | | | | | | | 1 | | | | | 1 | | 1 |
| Varia loca | | | 1 | | | | 1 | | | | | | | | 1 |
| AMERICA | | | | | | | | | | | | | | | |
| Argent. et Chilum | | 1 | 1 | | 2 | | 4 | | | | 1 | | 1 | | 5 |
| Aequator | | | | | | | | | | 2 | 1 | | 3 | 1 | 4 |
| Brasilia | 1 | | 3 | 1 | | 1 | 6 | | | 5 | 2 | 2 | 9 | | 15 |
| Canada | | | 1 | | 1 | 1 | 3 | | 1 | 15 | 5 | | 21 | | 24 |
| Columbia | | 2 | 1 | | 4 | | 7 | 1 | | | 2 | | 3 | | 10 |
| Guatemala | | | | | | | | | | | | | | 1 | 1 |
| Mexicum | | 1 | 5 | | | 1 | 7 | 1 | | | 6 | | 7 | 1 | 15 |
| Status Foederati | 1 | 4 | 8 | | 12 | 1 | 26 | 39 | 37 | 201 | 20 | | 297 | 45 | 368 |
| Venezuela | 1 | | | | | | 1 | | | 1 | | | 1 | | 2 |
| Varia loca | | | | | | | | | | 1 | | | 1 | | 1 |
| ASIA | | | | | | | | | | | | | | | |
| Ceylon | | | | | | 1 | 1 | | | | | | | | 1 |
| India | | 1 | 2 | | 1 | 1 | 5 | 5 | | | 3 | | 8 | 7 | 20 |
| Iava | | 1 | | | | | 1 | | | | | | | | 1 |
| Philippinae | | | | | | | | 1 | | 2 | | | 3 | | 3 |
| Sinae | | | | | | 1 | 1 | | | | | | | | 1 |
| Syria | | 1 | 1 | | | | 2 | 1 | | | 1 | | 2 | | 4 |
| AUSTRALIA | | | | | | | | | | | | | | | |
| Varia loca | | | | | 1 | | 1 | 2 | 1 | | 2 | | 5 | | 6 |
| **Summa** | 15 | 35 | 119 | 8 | 38 | 58 | 273 | 96 | 81 | *446 | 153 | 25 | 801 | 79 | **1.151** |

* Ex his cum titulo "Filiarum Mariae" 44.

**Unde apparet:** aggregationum numero hoc anno inter *singulas regiones eminuisse sequentes:* 1) Status Foederatos (368), 2) Germaniam (176), 3) Galliam (76), 4) Poloniam (59), 5) Hispaniam (53), 6) Austriam (47), 8) Jugoslaviam (35), 8) Neerlandiam (33), 9) Hungariam (32), 10) Italiam (30).

Relate ad aggregationes anni praecedentis *progressum* ostendunt: Gallia (76 : 46), Jugoslavia (35: 25), Anglia (21: 15), Canada (24 : 20), Rumenia (9 : 3) etc. *Regressum* ostendunt Status Foederati (368 : 381), Germania (176 : 180), Polonia, (59 : 86). Hispania (19 : 53), Austria (47 : 74), Neerlandia (33 : 47), Hungaria (32 : 40), India (20 : 52), Brasilia (15 : 28) etc.

*Numerus totalis aggregationum* huius anni 1925 (1.151) numero 97 *minor* erat numero anni precedentis (1.248). Summa totalis aggregationum attigit ad numerum **49.339.**

# CHRONICA

## PROGRAMMA QUODDAM ACTIONIS SODALITIAE

Paradigma hic exhibemus actionis apostolicae et sodalitiae, quod adoptarunt variae Congregationes urbis cuiusdam ad unionem consociatae. Est certe uberrimi et utilissimi laboris programma, quo ostenditur, quam multa opera et quam temporum necessitatibus obvia hodiedum Sodalitas saluti animarum afferre possit.

Programmatis partes tamen non ita sunt intelligendae, veluti si omnes ab omnibus simul curandae essent, verum ut eam sibi quisque laboris provinciam seligat, quam curare se posse putet.

Sunt ergo programmatis apostolici puncta haec :

### 1. Circa ipsam Congregationem

*a*) Exsecutio deliberationis ultimo Congressu Sodalitatum urbis factae circa *congressus sodalitios in singulis parochiis* semel certe in anno obeundos, mense Maio vel Octobri.

*b*) *Instructio* Sodalium de fine proximo et remoto Sodalitatis et de viis hos fines attingendi atque impedimenta removendi.

*c*) Exhortatio ad s. *Communionis* usum constantem, ad Communionem generalem menstruam servandam in singulis Sodalitatibus ; institutio Sectionis eucharisticae et Cruciatae eucharisticae ; frequentatio Sacri cotidiana.

*d*) *Communes consessus* magistratuum omnium eiusdem parochiae Sodalitatum.

*e*) Institutio *novarum Congregationum,* ubi pro certo vitae genere nondum sunt.

*f*) Constitutio *bibliothecarum* libros asceticos et maxime sodalitios continentium.

*g*) *Sublevatio impedimentorum* quae obsteterint actioni et vigori singularum Congregationum vel etiam collaborationi earum inter se.

*h*) Institutio *Congressuum sodalitiorum totius civitatis.*

*i*) Institutio *Congressuum Directorum.*

*j*) *Publicatio eventuum* Congregationum in periodicis vel diariis urbis.

### 2. Auxilium in parochiis

*a*) Organizatio *apostolatus laici.*

*b*) Procuratio et elaboratio *schedularum de Catholicis recens in urbem migrantibus.*

*c*) Elaboratio *cartothecarum parochialium* (libri de " statu animarum ").

*d*) Actiones *propagandae* religiosae.

*e*) Actiones *praeservationis* in fide et moribus.

*f*) Promotio *instructionis religiosae* in scholis et catechesis extra scholas.

*g*) Praeventio *matrimoniorum mixtorum.*

*h*) Organizatio *ordinis servandi* in populo ad functiones religiosas confluente.

*i*) Cooperatio *liturgica,* e. g. fortiter canendo in cantu ecclesiastico, alta voce recitando preces communes, assistendo prima feria VI templis, caeremoniisque hebdomadae sanctae etc.

*j*) Frequentatio *missae parochialis,* praesertim missae sollemnis diebus dominicis.

*k*) Impugnatio nimii et exaggerati *cultus corporis* vel " sport " diebus festis.

*l*) Propagatio sacrarum *peregrinationum.*

### 3. Associationes catholicae

*a*) Educatio et instructio *nucleorum*, seu selectorum Catholicorum ad alios ducendos aptorum.

*b*) Invitatio *novorum sociorum* ad associationes catholicas.

*c*) *Connexio* inter uniones *iuvenus et virorum.*

*d*) Connexio inter uniones *virginum et matronarum.*

*e*) Connexio inter *discipulos et uniones iuvenum, vel discipularum et virginum.*

### 4. Vita publica

*a*) Promotio *ephemeridum et diariorum* catholicorum ; institutio Sectionis boni preli in Congregationibus parochialibus ad faciendam propagandam viritim ; impugnatio preli mali ; servitium nunciandi eventus diariis catholicis.

*b*) *Manifestationes catholicae* circa omnes quaestiones et eventus, qui fidei et moribus periculo esse possint.

*c*) Influxus salutaris in *theatra et cinematographa.*

*d*) Tutela et evolutio *scholarum catholicarum.*

*e*) Institutio et augmentum *bibliothecarum* popularium.

*f*) Impugnatio modi *inhoneste se vestiendi.*

*g*) Promotio *organizationum politicarum* catholicarum.

*h*) Promotio *Exercitiorum spiritualium,* maxime inter homines in publica vita versantes.

*i*) Institutio *cursuum culturae religiosae.*

### 5. Opera caritativa et socialia.

*a*) Cura circa *bibulos* et opera *abstinentiae.*

*b*) Promotio *collocationis* Catholicorum in officiis variis ; monitio centri, si locus talis alicubi vacet.

*c*) Studium problematis *habitationum ;* procuratio domicilii pro Catholicis singulis et familiis.

*d*) Concursus ad *opifices et mercatores catholicos.*

*e*) Sublevatio *pauperum et aegrorum,* praesertim per Conferentias Vincentianas.

Ex ipso hoc programmate elucet, Sodales istos omnino serio rem aggredi. Revera, si ita Congregatio concipitur, nemo ei obiicere poterit, eam nisi vetulorum devotularumque congeriem esse nihil, tempusque suum fecisse.

Age intendamus vires omnes, ut Congregationes nostrae ubique sic concipiantur, sic ad laborem serium se accingant, fiantque ubique veluti medulla actionis religiosae.

**Lecce** (Italia). Circuli Universitarii catholici diem 13 Decembris inter festos dies retulerunt, sollemniter instituendo Secretariatum Universitarium Catholicum. Eodem tempore *Congregationem Marianam* declaraverunt *Centrum quoddam seu nucleum* esse oportere, unde lux et vigor in totam unionem atque actionem diffunderetur. Nam, uti programmate eorum dicitur, " tum demum fortis et constans animo nostro amor Fidei, Scientiae, Patriaeque inuretur, cum ad Virginis pedes provoluti sepernaturalia dona colere perseveraverimus ". Rectum hi certe locum Congregationi Marianae inter ceteras partes actionis catholicae tribuunt.

**Buenos Aires** (Argentina). Congregationes nostrae ad augendam gloriam SS. Deiparae invitaverunt Sodales non solum suos, sed etiam totius Americae latinae, ut quam plurimi die festo Immaculatae Conceptionis votum emitterent publico festivoque rito, quo se obligarent ad defendenda semper tria B. Virginis privilegia, iuxta mentem tamen et spiritum Ecclesiae : Immaculatae Conceptionis, Assumptionis cum corpore in coelum, mediationis universae gratiarum. Qua de re P. Jos. Hubertus *Salvador y Salvador* libellum quoque edidit, cui titulus: *Nuestra labor por el dogma de la Asunción Corporal de Maria.* (Quito, Ecuador, Imprenta del Clero 1925). Laudabili conamini Sodalium Bonaeriensium par respondit Sodalitatum variarum plurimorumque Episcoporum approbatio.

**Feldkirch** (Austria). In Collegio nostro " Stellae Matutinae " die 8 decembris ingenue Academia sollemnis instituta est a Sodalibus, graeca maxime lingua, in honorem B. Virginis, lucis Orientis. Cuius Academiae tessera erat:

*Virgo fave: errantes tu lumine Mater amico*
*Respice et Unigenae iunge benigna tuo!*

Iuvenes elucubrationes legerunt de devotione Orientalium erga Deiparam, de parte Mariana in liturgiis graecis, similia. Docta erat simul et pia aemulatio, incitans ad orandum et agendum pro schismaticis.

**Pactum caritatis. Exemplum imitatione dignum.** In aliqua Congregatione virorum regulis localibus sancitum est, ut Sodales " pactum caritatis " inirent, quo inter se sponte obligarentur, ut quotiescunque aliquis ex ips eorum numero decessisset, reliquorum singuli Missam pro anima defuncti offerri curarent. Sic ubi quis eorum supremo fato concessit, magno Missarum numero suffragia obtinet. Imitandum profecto exemplum, ut qui in vita se dilexerint, neque in morte separentur.

**Exemplum non imitandum.** Accidere aiunt vicissim res quae imitandae reapse non sunt. Convenerant in aliqua regione viri de iuventutis cura solliciti, ut quibus rebus huic opus esset deliberarent. Aderat cum aliis vir quidam Protestans, sed bonae fidei. Cum de organizationibus iuventutis catholicae ageretur, surrexit ille vir et modeste interrogavit, quid de Congregationibus Marianis esset sentiendum. Multa se de iis audivisse, sed velle se claram notitiam habere, quod simile quid etiam apud adolescentes Protestantes instituere cuperet. Splendida erat occasio de Sodalitatibus nostris bene dicendi. Qua occasione ut penitus uteretur, praeses conventus, Praelatus quidam, religiosum aliquem qui praesens erat ad respondendum interroganti evocavit. Surrexit ille, sed sive quod prodere Protestanti margaritas nollet, sive quod ipse non aestimaret magni Sodalitatem, sermonem in verba contulit paucissima, et strictim edixit Congregationem Marianam antiquitus multum valuisse, nunc autem suum tempus superasse; aliis hodie organizationibus opus esse. Tristis certe rei exitus fuit, nam sacerdotes quidam saeculares oratoris partem arripuerunt verbaque fecerunt summae laudis in Congregationem, contra religiosum illum. Nos certe ita facere non poteramus, nam legem nos in Epitomae num. 384 sic elatam habemus: " Congregationes Marianae rite instituantur, foveantur, dirigantur atque *ab omnibus magni fiant*, utpote quod *efficax sit medium* ad selectos iuvenes efformandos ". (Coll. Decr. 136 § 3; cfr. etiam Epit. num. 675).

Sunt qui dicant ipsam *iuventutem* hodie non appetere Congregationem, sed alia opera avidius prosequi. Verum undenam haec iuventutis sapientia, res pristinas novasque senili nescio quo vitae usu comparantis? Ni totus fallor, iuventus non a seipsa canit istas cantilenas, sed repetit identidem ea, quae ab adultis dictitantur. Si nos Congregationi, ut decet, primas partes sincere dederimus, etiam iuvenes mox studio Congregationis inflammabuntur.

Alibi iuvenes quidam Congregationem eo nomine detrectaverant, quod puellis conveniret, non iuvenibus. Sed edocti a Patre quodam nostro, Sodalitatem longo tempore clausam puellis fuisse, et solis viris iuvenibusque patuisse, repente consilium mutaverunt, et vindicandum sibi rursus quod suum fuerat constituerunt. Ecce, quantum lucis verbulum comiter insertum pandere potest!

## *TELEPHONIUM*

**Ad Beatos Sodales** addendum dicit Pater quidam Venerabilem *Joannem a Burgundia*, Romae sepultum in templo S. Bonaventurae in Palatino. Alii alios proponunt, sed non semper *certe* Sodales. Sunt qui tamquam novos addendos proponant eos, quos nos iam exhibuimus.

**P. O. H. M.** Inscriptio P. Augustini *Lamprecht*, Superioris Residentiae nostrae Graeciensis est: Pauls-kirche, Sporgasse 21. a., *Graz, Austria.* Cum P. Lamprecht a multis annis Calendario Sodalitio perficiendo adlaboret, quoad Sanctos ac Beatos Sodales optime directe consuli potest.

**M.** *aliisque.* Aggregationes ad Primam Primariam non per Secretariatum nostrum fiunt, sed per R. P. Procuratorem Generalem, Petr. Boetto, 8 Via S. Nicola da Tolentino, Roma 30.

**Gratias pro obolis :** P. M. L. Mantua L. 10. — P. A. S. V. V. L. 20. — P. J. L. Bilbao L. 174. — P. G. C. Katwyk L. 100. — P. F. V. C. - Tesin L. 88.44. — P. G. W. Aschaffenburg L. 28.80. — P. W. Feldkirch L. 45. — P. A. de B. Paris, L. 45.

Editor: *Adalbertus Bangha S. I.*
Superiorum permissu.

Romae - Ex Typographia Campitelli - Via Orazio Coclite, 50 A